

117,234
II 8
804

Ethica medicina

BIGAM
DISCIPULORUM
NOSTRORUM,
ACADEMIÆ CANDIDATORUM,
NOMINE SCHOLÆ,
IN STUDIA ACADEMICA
DIVINUM AUXILIUM AMBOBUS EX ANIMO
PRECATUS,
E COETU DISCENTIUM
HIS LITERIS MONENTIBUS SIMULQUE
DE INGENIO INGENIIQUE CULTURA
TESTANTIBUS. DIMITTIT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold, R.

CYGNÆ.
STANNO FRIDERICIANO.



Divinae sapientiae, cujus opera in caelum scanditur, doctrinam cum arte Medica aliquid similitudinis habere, si moderata fiat collatio, hisce diebus paripropemodum occasione demonstravimus. Jam & disciplinam morum non abhorreere ab eadem illa sanandi, roborandi, conservandi magistra, quantum quidem penes hominem est, sequitur deinceps ut ostendamus. In hoc igitur omnes morum Magistri conveniunt, non corporis quidem, sed tamen animi quandam medicinam esse illam vitae in melius formandae victiorumque contagio liberandae scientiam, quam vulgo Ethicam appellamus. Nam ut Medicina corporis expellit aegritudinem, morbosque monstrat, a quibus, tanquam a periculosis scopulis navis, arceri corpus debet, quo illi sua illibata, aut certe non penitus dejecta ster incomunitas: sic probitatis duces ac monitores virtutis animi morbis medentur, ne vel abundantia molesta, vel defectu aegro vitae ratio labefactetur; sed potius iusto actionum temperamento integritas vigeat morum honestasque, unde vera vivendi felicitas consequatur. Monitores dico virtutis. Non enim solum firma persuasio animi, ex rationum pondere promanans, verum & orationis lenitate mali magnitudo diminuitur, si non penitus tollitur, &, ut Erasmus loquitur: Philosophia animi sanat cupiditates, quas Stoici morbos appellabant, verborum pharmacis, haemoneitis salubribus. Quanta etiam in sermone objurgante insit vis, quantumque momentum, graviter in oratione de Pace docet Isocrates, quando auditer his verbis alloquitur: Vos illud imprimis scire oportet, quod adversus corporis morbos multa variaque remedia a Medicis reperta sunt: animis vero aegrotantibus & pravis cupiditatibus oppletis non est aliud remedium, quam oratio, quae non vereatur errantes increpare. Deinde ridiculum est, cum Medicorum usuras & sectiones perferamus, ut a gravioribus cruciatibus liberemur, orationem rejicere, priusquam liqueat, an hujusmodi vim habeat, ut utilitatem afferat audientibus. Haec Vincentius Placcius, celebris apud Hamburgenses, dum viveret, Criticus, magno molimine Philosophiam vitae instituentem praecipuam conferre cum Medicina conatur, praecipue in libro, qui Philosophiae Moralis Fructus praecipuus inferbitur; at longe alia via, quam, quae alii quidam Philosophi solent incedere. Contendit enim multisque rationibus evincere laborat, Philosophiam non sufficere beatitati solidae constituendae, nedum acquirendae; eoque divinam revelationem ei, qui certis signis religionem Christianam a superstitione falsa distinguere & discernere cupiat, maxime necesse esse. Quamobrem exactam atque exploratam nostri, Dei mundi que cognitionem, quae per naturam humanam depressam imperfecta sit, & sine qua operatio Medicinae nulla speretur, non nisi a sola revelatione expectandam; quae instar luculentissimum Semeiotices medicae jure suo existimetur. Cumque notitia de summo illo Bono, cujus desiderio omnes boni flagramus, expetendo, deoque summo Malo, a quo libenter abhorremus, fugiendo aequae langueat, ut cognitio sui naturalis caecutiatur: nunquam rectos suae emendationis sensus concipi foverique posse, nisi caelitus divino lumine nostra mens illustraretur. Quin & indicia, ex quibus pateat, quam longo intervallo distet conditio nostra a maximo sive malo, sive bono, tam infirma, tam imperfecta existere, ut sanum de incrementis sapientiae vel ipsius decrementis iudicium nobis solis & absque illuminatione caelesti prorsus deficiat. Quo ipso etiam deesse subsidia hominibus per naturam comperta, quorum praesentia malorum summum a nobis declinemus, e contrario bonorum maximum in hac vita assequamur. Et vero qui morbum nesciat suum, qui naturam & compagem corporis humani, qui statum animae aliquando beatissimum aut miserimum, animo ex vinculis soluto corporeis, qui

im.

imbecillitates suas emendandas, & quomodo amicitia Dei exciderit, ignorat; eum multo minus reconciliationis consilia invenire, aut ad vulnera sua sananda manum adjutricem admoveere, & propterea minime sibi sufficere ad beatitudinem constituendam suam, nedum comparandam. Quæ omnia cum Medicina cognitionem rationemque proportionem certam respondentem obtinent. Cadit inde gloria Philosophorum humanæ sapientiæ consultorum, de hac ipsa nimis magnifice & gloriose sententium, eamque venerantium, ut culturam animi, ut bene vivendi disciplinam, ut virtutum indagatricem, virtutum expultricem, ut mortis contemtricem vitæque beatæ effectricem, ad postremum ut rerum divinarum atque humanarum scientiam. Hæc olim commovere Lactantium, ingenii & doctrinæ gloria excellentem virum, uti tum Philosophiæ corpus ipsum, tum ipsius partes sigillatim contemplationibus & actionibus destinatas, h. e. Physicam & Ethicam, singularia denique illarum partium decreta & sententias oppugnare vehementer, atque convelle-re studeret. Enimvero ob hæc, experientia teste, quibusdam ab eloquentia instructis atque præclaris viris hæc opinio, ut doctrinam gentilium & ipsam Philosophiam totis convitiis plaustris onerarent, omne genus vehementis affectus in eam effundentes, tantum abest, ut eandem aliquo in numero habendam putarent. Isti non improbando quidem illo, sed tamen paulo fervidiore, quam opus videbatur, studio, in vestigiis sunt in Philosophiam, dumque in saniam destructuram gentilis doctrinæ, & superstitionibus obviam ituri, Philosophos sunt criminati, quod omnia ad corpus & hujus seculi cultum, nihil vero ad mentem referrent; mundi autem arcana & cœlestia hoc templum impiis et ineptis profanarent disputationibus, aliquanto longius processerunt, quam verecunda investigatio veritatis permetteret. Quo in numero si quis Lactantium etiam ipsum tanti nominis Patrem, tanto pietatis amore inflammatum ac præfulgentem, habendum esse dicat, vere is mihi dixisse cenfeatur. Quod ut paulo uberius hoc loco confirmem, sciendum, Philosophiæ nomen variis interpretationibus esse expositum. Modo enim Philosophia, ex sententia Platonis & Aristotelis, scientiam significat Contemplativam, Activam, Effectivam, ut solertiores loquuntur rerum indagatores; quarum in illa Theologiam seu Metaphysicam, Physicam & Mathematicam; in ista Oeconomicam, Politicam, Ethicam; in hac autem Analyticam, Dialecticam, Rhetoricam, quarum illa veris propositionibus scientiam; ista probabilibus opinionem; hæc verisimilibus in animo auditoris fidem intendit efficere; nec non Medicinam, Poeticam, Grammaticam, Staturariam, Pictoriam ponunt. Modo sapientiam notat, & ut clarius loquar, Dei rerumque divinarum cognitionem, rerum naturalium studium, cœlique seorsim & siderum observationem. Modo ratione singulari Philosophiæ nomine designatur sapientia, qua cuncta, quæ sciuntur, aut sciri possunt, ad Deum, & ad amicitiam cum Deo colendam diriguntur, quasi ad centrum, in quod omnia tendunt, unde rursum omnia deducuntur, quæcumque in Sphæra occurrunt. Quippe omnis homo sanæ mentis compos sic disponit sua, ut optime agat omnia, ut transigat, absolvat, ut vitæ præsentis fabula multo cum applausu finiatur. Imprimis rempublicam gubernantes suarum civitatum commoda, incolumitatem, copiam bonorum, absentiam malorum, verbo, publicam civium salutem procurare nituntur. At prudentia gubernatrix ideo suos cives virtutibus vult esse præditos, temperatisque moribus, ut ne mens in contemplando & venerando divino Numine impediatur ab insultantibus animi perturbationibus, sed potius ut continuo planeque religiosi. Dei cultu vacet, sequæ, quantum humana infirmitas patitur, Deo similem reddat. Id quod sine singulari ope Dei, sine sapientia vera beatorum sperari nunquam, nunquam fieri potest. His ita constitutis, Philosophiam, ultimo sensu supponentes, pro

pro ipsa singulari accipimus sapientia, cujus interventu Sapiens homo, sed quodammodo divinus fit, sequē a mortalitate atque ab interitu vindicat, secundum mentem vivendo, ut sapientes decet, non tantum secundum animam ratione pollentem, quæ facultas etiam in prudentes cadit, pariterque Deum, tanquam finem ultimum, sibi ob oculos ponendo. De qua re non male differens *Qveccius* in oratione pro Philosophia, Philosophiam ait esse verarum sententiarum comprehensionem, de rebus liberalium ingeniorum cognitione dignissimis, & vel ad veritatem operumque divinatorum contemplationem, vel ad actionum conformationem pertinentibus. Sed longe luculentius *Lactantius*: Hoc uno, inquit, beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur; si fugientes illecebras voluptatum, solique virtuti fervientes, in omnibus laboribus miserisque vivamus; quæ sunt exercitia & corroboramenta virtutis: si denique asperam illam viam difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonum, quod beatum facit, non potest esse, nisi in ea religione atque doctrina, cui spes immortalitatis adjuncta est. Legendum quoque in eandem rem caput VII. & IX. *Aristotelis*, in *Ethicis* egregia docentis. Filium sermonis hic abrumperē cogor, pro infirmitati præsentis ratione, simulque reliqua in proximam dissertationem, exemplo typis excubendam rejicere. Etenim duos e cœtu discipulorum apud nos probæ notæ *Juvenes*, ad altiora Musarum transitum parantes, recepto more dimittere debemus. Alter *Plancio*, vicino nobis pago, natales debet,

Carolus Gottlieb Lœscherus; Alter patriam cum multis literatis agnoscit *Cygnem* nostram,

Christianus Wilhelmus Schmius. Prior patrem habuit *Christianum Lœscherum*, Pastorem *Planicensis* bene meritum, cujus damnum reparavit mater vidua, honestissima fœmina, in sollicitudine adhibenda pro commotis liberorum paternas maternasque curas confocians laudabiliter. Intulit autem puer *Lœscherus* in contubernium nostrum verecundam indolem, quam etiam adolescens, etiam juvenis non deposuit, sed, annis succrescentibus & profectibus doctrinæ, iudicio sobrio moderare incipit. Iste vero virtutis custos pudor, aliis insuper dotibus, vel ornamentis auctus, non exiguum nobis de ipso spem boni & utilis aliquando viri in republica ingererat; præsertim si experimentis vitæ sapientioris permixtum eum intulerit in Sacerdotium, cui destinatus videtur. Nam & literas felici successu excoluit *Lœscherus*, & artes, scientiarum superiorum manus, diligenter trivit, prælibans interea quædam Academica, quo majoribus mensis obfirmaret stomachum, & commodiorem auditorem in Academiis ageret.

Posterioris *Parens*, *Zacharias Schmius*, cum adhuc in vivis esset, in Dynastia una aut altera hic vicinæ jurisdictionem administravit, & ex secundo matrimonio hunc primum suscepit filium, facie liberali, ingenio capacissimo, iudicio non obtuso, & quod primo loco ponendum erat, animo ad studia literarum attentissimo, quas dotes naturæ morum æquabilitas & quietem vivendi genus, ab ipso amatum, exaugent. Quid mirum igitur, præsertim prælucente fidei cultu pietatisque, si etiam sentientibus progredi nobis visus fuerit *Schmius*, atque ingenii adjutus alis, gaudente Matre vidua, festino gradu ad fata sua properare? Possemus, si vellemus, de *Juvene* aliqua sigillatim recensere, in Museis nostris exantlata. Nolumus tamen sicco pede noticiam Geographicam præterire, in quam, non neglectis studiis aliis, tanta incubuit solertia, ut inter cæteros palmam primam meruerit. Quapropter uterque nominatorum *Juvenum*, ut ambo florent ingenii spem que prolixam nobis injeiunt utilitatis publicæ, aliquando ex ipsorum meritis capiende: ita medicinam animi non inane nomen apud eosdem extitisse fateri cogimur. Nihil restat, præter gratiæ divinæ perennitatem, quam cœli clementia eis largiatur! P. P. d. XI. Majj. Ao, MDCCXXI.


117,234

II 8
804

Elrica medicina

BIGAM
DISCIPULORUM
NOSTRORUM,
 ACADEMIÆ CANDIDATORUM,
INE SCHOLÆ,
UDIA ACADEMICA
 AUXILIUM AMBOBUS EX ANIMO
 PRECATUS,
 COETU DISCENTIUM
 TERIS MONENTIBUS SIMULQUE
 IO INGENIIQUE CULTURA
 TESTANTIBUS, DIMITTIT
 ORGIUS ANDREAS Vinhold, R.

CYGNÆ.
 STANNO FRIDERICIANO.



45

